

frictionibus, balneis, inunctionibus, ἀποθεραπεία à futuris ægritudinibus vindicent: ipse manum non admouet. An non ergo sit par ratio Medici ad Pharmacopœum. Hic ab istius latere ne recedito, singulorum medicaminum selectum ediscito, præparandi componendiq; artificium haurito. Iste verò sollicita inspectione huius operationes omnes moderator. Tum certè periculum omne vel negligentis apparatus, vel temerarij abusus oppidò quàm citissimè euanescet. An non id ipsum promulgat Galenus, quando artis medicæ instrumenta à diuersis plurimis præparari candidè fatetur. Indumentorum & calceorum certa nonnunquam proportio seruanda est ægro, quam licet Medicus determinet, non tamen ipse, sed sartor vel sutor adornat. Eadem ratio est ædificantis donum, ædilis: pinsentis panem, pistoris, & si quæ possint esse alia. Præsidet his medicina, & quo fieri pacto conueniat, sola præcepta dat, non ipsa manum admouet. Galenus apertè fatetur, se Romæ cum

*Ad Thras
syb. cap. 43
et seq.*

6. Meth. vlt.

rurgis